



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

SS. Indes & Domna MM. 26. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

26. Dec. VITÆ SANCTORUM. 809
net, writur charitate nostrâ, obedientiâ
cruciatur. S. Bern. serm. 3. de Dedit.

SS. INDES & DOMNA MM.
26. Decembris.

DOMNA superstitionis in aulâ Maxi-
miani Imp. summa Antistita, dum
quæ fortiter egerunt Apostoli, legit, &
aures Christianæ dat Virgini, sacrificare
rectius Christo discit, & jam semet
parat immolare. Tam sancti propositi
socius, qui illi à cubiculis erat, INDES
est factus. Cum hoc primo omnium au-
rum & argentum in manibus miserorum
occultat. Tum cibos, quos quotidie
Imperator lautissimos submittebat, ad
eosdem transmittit, ipsa cibario pane &
aquâ famem sitimque martyrii accendit.
Ea res cum aulam omnem in admira-
tionem raperet, curiosus Eunuchus
in cubiculum se penetrat DOMNÆ, &
cum libro, de quo diximus, & cruce,
itemque thuribulo & cistellâ, quâ deli-
cias suas panem Angelorum asserva-
bant, rem omnem in lucem protra-
hit. Cæsi igitur fame ultimâ excrucian-
di in carcerem concluduntur. Sed num-
quam aliâs tam opiparè vixerunt, quan-
do mensam Angeli posuerunt omni-
bus lautitiis instructam. Inter hæc DOM-
NA unicâ zonâ, quam gestabat, auro &
Eee 3 gem-

806 VITÆ SANCTORUM. 26. Dec.
gemmis gravem, per fenestram demissâ,
totam pauperum cohortem vestivit.
Mox, ut cum cœnobio aulam liceret
mutare, prudenter desipere se adsimu-
lavit. Iterum deinde insidiantem Maxi-
mianum virili veste elusit, cumque jam
non hanc modò, sed animum etiam
virilem induisset, & IN DEN mari mer-
sum extractumque tumulasset, cæsa pro
Christo, & in ignes coniecta, ex Sa-
cerdote rectè victima est facta. Ex
Metaphr.

*Audiant Christiani qui quotidie cor-
pus Christi attingunt, quantam de ipso
corpore sumere possint medicinam; quan-
do mulier totam rapuit de solâ Christi
fimbriâ sanitatem. Sed quod nobis flen-
dum est, nobis medicina ipsa retorquetur
ad vulnus. S. Pet. Chryl. serm. 34.*

S. CONSTANTINUS CONE.
26. Decembris.

Natus est hic CONSTANTINUS
Hebræus, vixit verò Christianus,
cùm Christianum alium, qui in fossam
lapsus signo crucis se munierat, sur-
gere incolumem vidisset. Ab eo tem-
pore ita CHRISTI crucisque amore
arsit, ut flammæ pectoris prodigiosus
in vultu splendor proderet. Impuram
è gente suâ puellam ad illicita se pellicentem